



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesisius

Sammieli, 1613

De excomm. non reseruatis in sexto cap. 38.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

& eos qui cōsenserint ordinationi illorum.

De Excommunicationibus non reservatis, in sexto.

Cap. 38.

EXcommunicantur * primò mittentes scripturā, vel nunciū Cardinalibus in conclavi existentibus, vel cum eis secreto loquuntur. * Secunda est contra dominos, & officiales non observantes ea, quæ in morte Papæ observanda sunt. * Tertia. Ligæ spoliantes, & iniuste persequentes personas Ecclesiasticas, eorū Ecclesias, vel monasteria, aut consanguineos vsque ad 7. gradum, si id faciunt propterea quod nolint aut noluerint eligere eos pro quibus rogarunt. * Quarta. Contra de nouo usurpantes ius custodiæ vel guardiæ Ecclesiæ vacantis, vel titulū, aut bona ipsius capientes, aut hæc fieri procurantes. * Quinta. Com-

prehendit

prehendit illos, qui sunt deputati ad dirigendas moniales in suis electionibus si non abstinent ab iis, ex quibus discordiæ inter eas oriri solent. * Sexta Claudii procuratores, quod Iudices conservatores tibi dati, intromittant se ad alia, quàm ad manifestas iniurias, & extendant potestatem ad ea, quæ iudicalem exigunt discussionem. * Septima. Contra extorquentes vi, aut metu, excommunicationis absolutionem, aut suspensionis, vel etiam interdicti. * Octava. In eos, qui fraude iudicem in domum alicuius mulieris inducunt, ut eius testimonium accipiant. * Nona. Contra compellentes personas Ecclesiasticas, ut Ecclesias suas, vel eorum bona immobilia, vel iura laicis subdant, si autem hoc fiat ad breve tempus, ut infra, decem annos, non ligat. * Decima. Ex Siluest. Contra inventores novarum Religio-

num, vel Religionis nouæ habitum fumentes: sed melius dicitur eam excommunicationem tantum esse contra ordines quosdam mendicantes, qui hodie non extant, quemadmodum nec fratricelli, qui in extrauaganti quadam Ioan. 22. excommunicantur.

*Undecima. Compræhendit exigentes per se, vel per alium pedagia à personis Ecclesiasticis pro rebus, quæ negotiationi non sunt expositæ. * Duodecima, contra impediētes Ecclesiasticam iurisdictionem, & compellentes personas Ecclesiasticas litigare, aut Ecclesiasticum forum relinquere, & transire ad seculare. * Decima tertia, contra dominos temporales subditos suos impediētes, ne personis Ecclesiasticis quicquam vendant, aut ab eisdem emant.

*Decima quarta, cōtra Religiosos professos in Religione approbata, qui temerè, & sine causa ha-

bitum dimittunt, & qui sine licentia Prælatorum ad studia literarum extra claustrum se conferunt, ligat etiam Doctores, Magistros, qui tales habitu dimisso leges aut physicam docent. Si verò dimissionis habitus sit rationabilis causa, vel non temeraria, aut ad breue tempus alium etiam sumant ad ludum, aut ad festum non incurrunt: quinimò, nec si talis dimissio cum mortali sit coniuncta ad horam, & ad aliquod mortale peccatum commodius perpetrandum, sed tantum quando quis ita assumit alium habitum, ut arbitrio viri prudentis dicatur proprium dimisisse. Et eadem est ratio, si proprium ita occultet, ut ex illo cognosci non possit cum sit religiosus, nam etiam tunc excommunicatur. * Decima quinta, est contra illos qui scienter præsumunt tradere Ecclesiastica sepultura hæreticos, eorum

credentes, receptatores, defensores, fautores, nec absoluendi sunt quousque publicè extumulent & proiiciant eorum cadauera. Et locus ille perpetua caret sepultura. *Decima sexta excommunicatio est contra Rectores, & dominos temporales in causa hæresis se immiscentes, aut iniuncta sibi per Episcopum, vel Inquisitorem non implentes, aut implenda impediendes. * Decima septima, contra illos, qui per assassinos aliquem Christianum occidere mandant, etiamsi mors non sequatur. * Decima octaua, contra Clericos, qui usurariis extraneis domos suas conducunt, vel in iis habitare permittunt ad vsuras exercendas, si intra tres menses eos à terris suis non expellant. * Decima nona, contra Reprensalias concedentes contra Ecclesiasticas personas, vel eorum bona. * Vigesima. In Principes, & Iudices, qui

non obseruant obseruanda contra persecutores Cardinalium.

De Excommunicationibus non
reseruatis in Clement.

Cap. 39.

Prima est contra illos, qui sequestrationem beneficii Ecclesiastici per triennium pacifice non possessi factam ab ordinario per sententiam diffinitiuam & apud Sēdem Apof. promulgatā impedire, vel fructus sequestratos occupare contendunt. * Secunda, Contra humantes tēpore interdicti in causis non permissis, cadauera publicè excommunicatorū, & nominatim interdictorum, ac manifestos vsurarios. * Tertia, contra Religiosos appropriantes sibi decimas non debitas, & fraude, vel dolo aliorū. Ecclesiis debitas, soluere non permittentes. * Quarta, in Monachos, & Canonicos & Regulares administrationē nō habētes